



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 34. Cleri Gallicani comitia Parisiis celebrata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI. A. C. 1598. tus revocationis suæ formulam in Senatusconsulto comprehensam ignominiose recitare cogebatur.

## §. XXXIV.

*Cleri Gallicani comitia Parisiis celebrata.*

*Daniel l. c. p. 235.*  
*Thu. l. c. 120 p. 827.* **M**ense Augusto Clerus Gallicanus permittente Rege comitia Parisiis celebrabat, in quibus totius Ordinis nomine Franciscus Gueslæus Turonensis Archiepiscopus deploratum Ecclesie Gallicanæ statum, necnon corruptos & neglectam religionem mores, & disciplinam amare deplorans hæc a Rege postulabat. I. Sacri Concilii Tridentini decreta promulgentur, iis exceptis, quæ Ecclesie Gallicanæ libertatibus, & Curie immunitatibus, aut privilegiis adversari videntur. II. Rex Episcopatum, aliorumque beneficiorum nominationibus conscientiam suam haud amplius gravet, nec pensiones ex bonis ecclesiasticis conferat Laicis, concessa vero revocet. III. Bonis ecclesiasticis nova onera non imponat. IV. Loca sacra in profanos usus converti non permittat, & gratias pro beneficiis proxime vacaturis revocet. V. Pacta cum Rege a Clero inita servantur. Verum ad hæc Rex vagis verbis respondit quod disciplinam ecclesiasticam in Regno

gno restaurari vehementer desideret, in hoc tamen negotio pedetentim, non autem præcipiti procedendum consilio: de cetero ipsos hortetur, ut officii sui memores populum ad pietatem exemplo suo incitent, hocque pacto, si & ipsi ad sinceram Regis voluntatem suo opere concurrere voluerint, brevi reformationis negotium confectum foret: Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

*Equidem, subjunxit Rex, hucusque non nisi vanis verborum ambagibus, ac speciosis promissis vos lactavi, nunc vero operum meorum fructus addam: deinceps experiemini, quod & si exterius gestem poliololum pulvere sordidum, interius tamen totus aureus sim.* Verum observat quidam recens Historicus, nihil solemnius fuisse Henrico Regi, quam quod semper factorum loco benevola verba, amplaque promissa suis daret: enimvero Clerus a Rege haud amplius, quam vanam spem, reportabat, et si ex Senatus sui consilio ad singula postulata responsum iri spondisset. Abregé chronolog. de l'histoire Eccl. tom 3. a l'ann. 1598

§. XXXV.

*Revocatio Parisiensis Decreti contra Jesuitas editi.*

Ex hoc ipso Gallicano Conventu Parisiensi tres Jesuitæ, contra quos Parisiensis Senatus severius agebat, libellum Regi porrigendi occasionem arripiebant Thuan. l. c.  
Spond. hoc ann. n. 7.  
Offat. ep. 119  
132. 152. 153